



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrīs Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 6. Cura Dei erga Adamum, Noë, Agar, & Isaac Patriarcham.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

8 Cap. I. Relictos à Deo curari,

§. VI.

Cura Dei erga Adamum, Noë, Agar, &  
Iaac patriarcham.

Ad eundem modum diuina Prouidentia iudicat iuuandos, qui aliunde destituuntur; aliunde autem sibi nimis attentè anxiéq; prouidentes censet ope destituendos. Nudus erat Adam, nec dum sartor fuit in terris, qui eum Melitensi veste tegeret: & ecce non dignatus est Orbis Conditor officium subire pellionis: nam fecit Dominus Deus Adæ & uxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Qui etiam hodie multos induit, quos milites exuunt spoliántque. Cur enim nudos esse sineret homines, qui aues plumis, pisces squamis, quadrupedes corijs pilisque tegit? Ingressus erat in Arcam, cum animantibus,

Gen. 7. Noë, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis. Ecce quia nemo fuit, qui ostium foris obseraret aut oblimaret, Deus ipse Noëticæ familiæ voluit esse ianitor.

Gen. 16. Agar ancilla, afflidente eam Sarai, fugam iniit.

Fugit homines affligentes, inuenit Angelos

Gen. 21. consolantes. Et rursum, alia vice, cum filio electa errabat in solitudine Bersabee. Cumq; consumta esset aqua in utre, abiecit puerum subter unam arborem, quæ ibi erant. Et (relichto

eo)

*exemplis veteris Testamenti docetur.*

9

eo) abijt, sed it quod è regione procul, quantum potest arcus iacere. Dixit enim: Non video morientem puerum: & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit. Sic ab ipsa matre sua destituti exaudiu*n*t Deus vocem pueri: vocauit quod Angelus Dei Agar de cœlo, Quid agis Agar? noli timere, exaudiu*n*t enim Deus vocem pueri de loco, in quo est. Sic filio mater, matri putetus & aqua à Deo est data. Alter quoque; filius Abrahæ Isaac, non iam à matre destitutus, sed à patre lignis & aræ impositus, atque in victimam ligatus, cum eò deuenisset, ut ictum expectaret & ferrum ceruice reciperet (iam enim Abraham extendit manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum) ab omni alio auxilio desertus, de cœlo subsidiū accepit. Siquidem Angelus Domini de cœlo clamanit, dicens: Abraham, Abraham: Qui respondit: Adsum. Dixit quod ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam. Ad hoc auxiliū Deus iam tum respexit, cum Isaac iussit victimari, de quo tamen Abrahæ longam spopondit posteritatem.

Gen. 22,

10.

### §. VII.

*Dei, pro patriarcha Iacob, cura.*

Actum fuisset de Iacob, quando Laban,

A s

assum-